



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. III. Quis censuram interdicti ferre, & quis tollere possit?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

locali, si nominatim interdicti non sunt, nec interdictum violarunt, possunt cum silentio sepeliri. *Laym. c. 2. nu. 3.* 4. Clerici violantes interdictum, peccant mortaliter; sicut etiam religiosi utriusque sexus: qui insuper excommunicantur de facto. Laici verò peccant quidem graviter, si contra interdictum personale recipiant sacramenta: si verò tantum violent locale, v.g. audiendo divina officia, probabilius est, tantum esse veniale, dummodo ipsi personaliter interdicti non sint, *Laym. c. 3. ex Sylv. Soto, Avila, &c.*

## DUBIUM III.

*Quis censuram interdicti ferre, & quis tollere possit?*

Resp. I. Interdicere possunt iidem, qui excommunicare & suspendere. Et quidem ut determinata persona interdicatur, videtur requiri culpa mortalis; ut autem feratur Interdictum locale, vel generale in communitatem, requiritur peccatum valde grave, cum contumacia commissum à capite, vel præcipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

Resp. II. Interdicta localia, & personalia generalia, quæ jure communi sunt imposita, nec reservata tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in communitatem interdictam; non tamen à Religiosis privilegiatis: quia locus & communitas foro pœnitentiæ non subjiciuntur.

Resp.

Resp. III. Ab interdicto juris personali particulari, si reservatum non est; quivis approbatus potest absolvere. Denique per privilegium absolventi ab omnibus censuris, non intelligitur potestas tollendi interdictum locale, aut personale communitatis.

## CAP. V.

## De Irregularitate.

Et si Irregularitas non sit censura, propter similitudinem tamen quam cum ea habet, communiter eidem annectitur: quapropter & hic subiungo.

## DUBIUM I.

*Quid & quotuplex sit irregularitas?*

Resp. I. Est impedimentum Canonicum, suspensionem ordinum sacrorum, & susceptorum, sum impediens. Unde sequitur, non esse censuram, sed quasi inhabilitatem: etsi enim interdum imponatur per modum poenae, proprie tamen poena non est, *Laym. l. 1. t. 5. p. 5. c. 1. Bon. d. 7. q. 1. p. 1.*

Resp. II. Dividitur 1. in eam, quae est ex delicto, & quae est ex defectu. 2. in Totalem, seu proprie dictam, quae omni ordine suscipiendæ, & suscepti exercitio privat, v. g. homicidium, bigamia: Et 3. Partialem, quae aliquo tantum ordinis mini-

sterio